

1994

A

7387



3: 2x 06






Q. D. B. V.  
 COLLEGII PUBLICI  
 DISPUTATIO XII.  
 De  
**CONTRACTIBUS**  
**CONSENSUALIBUS**

*Ad*  
*Tit. XXIII. & seqq. usq; ad Tit. XXIX.*  
*Libr. III. Instit.*

Qvam  
 IN ALMA FRIDERICIANA,  
 SUB PRÆSIDIO  
 DN. JOAN. SAMUELIS STRYKII,  
 J. U. Licentiati & Prof. Publ. Extraord.

*In Auditorio Majori*  
*die I. Julii A. R. S. MDCXCIII,*  
 publicæ ventilationi  
 submittit

JOHANNES DOLMANN.  
 Rigâ Livonus.



HALÆ,  
 TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT, BRAND.  
 TYPOGR.









I. N. J.

Th. I.



Unt contractus consensualis omnes *bonæ fidei*, non quod in aliis contractibus fas sit alterum decipere, sed quod iudici competat potestas ex æquo & bono definiendi, quid præstandum: Adeo ut intempestive religiosi censendi sint illi, qui hanc distinctionem damnarunt Franzk *Exercit. in Inst. 13. quæst. 6. & seq.*

Th. II.

Emptio, venditio quamquam contractus consensualis sit, sæpius tamen solo consensu non absolvitur, veluti si expresserint, contrahentes se non aliter quam in scriptis contrahere velle, quod clarissimo textu fundatur in *L. contractus 17. C. de fide instrumentorum conf. Illustris Dn. Strykius in Tract. de cautelis contract. sect. 2. cap. 8. §. 2.*

Th. III.

In pretio emtionis & venditionis naturaliter licet contrahentibus se circumvenire *L. 16. §. 4. de minoribus*. Adeo, ut leges ipsæ certum fraudibus posuerint modum in *L. rem majoris 2. C. de rescind. vendit.* scilicet ad dimidium veri pretii. Enim verò *Licere* isto quidem loco non significat fas esse, sed ita permitti, ut nullum contra proditum sit remedium in eum, qui se pacto velit defendere. *Grot. J. B. P. Lib. 2. cap. 12. §. 26. n. 1. Pufend. J. N. G. Lib. 5. c. 3. §. 10.* Et quamquam emptionem venditionem non nisi ob insignem læsionem rescindendam voluerint Imperatores in *d. L. 2. C. de rescind. vendit.*

A 2

vendit.



*vendit. quod nulla tribunalia essent suffectura dirimendis litibus, si ob quamcunque læsionem adiri posset Prætor, conf. L. 4. ff. de in integr. restit. ne quis tamen dolo suo meliorem conditionem faceret, prospectum l. 13. §. 4. & 5. ff. de actionibus empti. Et vox naturaliter, quæ in alleg. L. 16. §. 4. ff. de minoribus occurrit, vel sumi potest pro eo, quod recepti passim moris est, ut docet Grot. Loc. cit. vel dicitur id naturaliter licere, quod providentia legislatoris vix prohiberi potest; perinde atque in L. 9. §. 7. ff. de peculio dicitur, licere servis naturaliter in suum corpus sævire, non quod jure naturali id sit permissum, vid. L. 23. §. 3. ff. de Ædit. Edict. sed quod diligentia Domini prohiberi vel impediri vix possit. Gothof. in not. ad d. L. 9. §. 7. ff. de peculio.*

Th. IV.

An autem pretium augere liceat, propter speratum aliquod lucrum, quæritur, v. g. Venditor scit, post annum hanc rem valituram 20. ideoque illam eo usque reservare proposuit; quod si igitur quidam istam rem desideret, quæritur, an pro 20. eam vendere possit Venditor? Placet affirmativa, quia rem poterat non vendere, videatur prolixius Steph. Fagundez *de Justit. & Contr. l. 5. c. 31. v. 2.*

Th. V.

Maximè vero fraudibus aperiri videtur fenestra ubi celebratam venditionem rei traditio confestim non consequitur. Inde & Philosophorum facile Princeps Plato *de LL. Lib. XI.* in sua civitate ita constituendum censuit, ut quæcunque emendo & vendendo commutarentur, in statuto fori loco permutarentur, dando accipiendoque ultro citroque rem, & rei pretium illico, nec alibi; nulla vero emptio venditioque ad terminum fieret. Probant & antiquarum legum tabulæ, quæ apud simpliciores gentes olim in usu fuere eundem morem: imo & Græcis incognitus non fuit, cum in specie dicatur *græca fide mercari?* Plautus *in Asinar. actu 1. scena 6.*

Th. VI.

Verum enim vero, uti isthæc mercandi ratio simplicioribus temporibus satis apta fuit: ita amplior quædam mercatura & quæ-



qualem nostra tempora desiderant, non admittit istam simplicitatem. Fateor exinde prava decipiendi occasionem facile arripere, sed ingenti tamen commodo constat. Et verò ea rerum humanarum conditio, ut nil incommodis careat, sed ut ait Comicus in *Heautont. act. 7. Scen. 3. aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt.* Itaque istud mercandi genus, quod fit habita de pretio fide, vulgo auff Credit handeln / non ex Republic. eliminandum, sed potius bonis legibus cavendum, ut utrinque sanctissime colatur.

### Th. VII.

Emptione venditione perfecta, periculum rei venditæ statim ad emptorem regulariter pertinere, tametsi ea res emptori tradita non sit, notum est. §. 3. *Inst. de empt. vend.* Sed cum emptor nondum sit Dominus rei emptæ, sed dominium penes venditorem remaneat ad traditionem usque *L. 20. C. de pactis §. 41. Inst. de rerum divis.* obstat regula illa; rem perire suo domino *L. 9. C. de pignor. act.* Communiter DD. limitant illam, nisi Dominus rei idem sit & debitor ejusdem, ut hic venditor. Vinnius & Hoppius *add. §. Inst.* Minus isthæc ratio satisfacit Dn. Pufendorfio *§. N. G. Lib. 5. c. 5. §. 3.* Sed cum constet, quid pro utilitate communi introduxerit jus civile, non tanti nobis esse debet ratio disputandi *L. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Posset forte & hoc dici: simul atque emptio venditio celebrata est, & non stat penes venditorem, quo minus res tradatur, de jure naturali statim transire dominium, Grot. *§. B. P. lib. 2. c. 8. §. 25.* Pufendorf. *§. N. G. Lib. 4. c. 9. §. 50.* & simul periculum & commodum rei venditæ. Quod vero traditio insuper requiratur, hoc est ex jure civili, quod juri naturali aliquid addit vel detrahit, *L. 6. ff. de f. & f.* Quidquid vero jus civile naturali juri addidit, id non extendendum ultra casus expressos.

### Th. VIII.

Bene tamen hic discernendum est, qua ratione venditio facta fuerit: diversum enim est, an quantitas adjiciatur demonstrative, quæ aliàs vocatur venditio ad corpus; vel restrictive, vel



vel etiam modificative; illo casu periculum statim est emptoris, §. 3. *Inst. de Empt. & Vendit.* nec pretium mutatur, licet plus vel minus reperiatur, vid. Molina *de Just. & Jure Tract. 2. Diss. 267. n. 8.* Isto casu non plus est venditum, quam quod in mensura reperiatur. *L. 4. §. 2. de Contr. Empt. & periculum ante mensurationem est venditoris L. 2. de periculo & commodo rei vend.* Hoc casu Venditio quidem perfecta, & periculum emptoris est, sed si quantitas expressa non reperiatur, deminuitur pretium *L. 13. §. 14. ff. de Act. Empti.* Si major quantitas reperiatur, lucrum hoc emptori cedit B. Dn. Brunneman. *in Comm. ad l. fin. de peric. & comm. rei vendite n. 46. & seqq.*

### Th. IX.

Meretur etiam, ut dispiciamus, cujus sit periculum, si venditor sibi usque ad factam totalem solutionem reservet dominium rei vendita? Carpzov. *L. 1. Resp. 108.* periculum hic venditoris esse existimat, cum res semper suo Domino pereat. Nobis contrarium verius videtur, quoniam sic periculosa foret venditori reservatio. Quæ tamen cum in favorem venditoris fiat, in ipsius odium non detorquenda *arg. L. 6. C. de LL.* Et sane non semper Domini est periculum §. 3. *Inst. de empt. & vend.*

### Th. X.

Singulare est, quod habet Ulpianus *L. 1. §. 3. ff. de periculo & comm. rei vend.* Quod venditor, si emptor in mora sit, vinum effundere possit, quod plerumque DD. de effusione in terram intelligunt: enimvero, cum hoc manifestum peccatum involve- ret, potius id de effusione in vasa vulgaria, seu aperta, intelligendum, quamquam humanius ageret venditor ad interesse *L. 4. §. 1. ff. d. t.*

### Th. XI.

An vendito prædio jus patronatus simul venditum cense- tur? Id utique indubitatum in illis locis, ubi vel legibus, vel moribus, vel pactis prædio cohæret illud jus, conf. B. Brunnem. Jure



*Jure eccles. lib. 2. cap. 8. §. 13. Schilter Inst. Juris Canon. lib. 1. tit. 14. §. 15.* Sed & illa inveniuntur loca, ubi non prædio cohæret, sed personæ aut familiæ: ibi utiqve non solum non transit cum prædio vendito, sed plane alienari non posse existimo.

#### Th. XII.

Quod jus Canonicum *cap. 1. X. de empt. vend. Ecclesiastici* judicis arbitrio dijudicandum commisit, si in pretio læsi fuerint peregrini; hoc ipso certe ultra crepidam suam videtur progressum. Nulla enim svadet ratio, ut existimemus istud hominum genus, aut posse aut velle melius istas dirimere lites. Nimum verum est istud Sophoclis in Antigone. *Vates omnes captant pecuniam.* Nec fortasse æqvo animo ferre poterunt illi, qvi Principum jura sarta tecta qve volunt, si mercatores vectigalium oneribus gravati coram judice Ecclesiastico conqveri velint, ut nonnullis persvasum fuit, vid. Marquard. *de jure mercat. lib. 2. c. 3. n. 95.*

#### Th. XIII.

Inter jus Retractus Gentilitium seu legale & conventionale, insignis est differentia, qvòd illud actionem in rem scriptam, hoc personalem producat. Hahn. *ad Wesenb. tit. de rescind. vend. n. 6.* Nec video qvid absurditatis metuendum sit, si jus retrahendi, qvòd legibus familiæ cuiqve concessum, dixero esse jus in re.

#### Th. XIV.

Quod qvidem jus retractus cur in republica Hebræa DEUS voluerit observatum, vid. *Levit. c. 25. c. 27. Ruth. c. 4. Hefecel. c. 46.* evidens ratio est in illa æqualitate & distinctione familiarum, quam Deus in illa gente conservatam voluit, conf. Pufend. *J.N. G. lib. 5. cap. 5. §. 4.* Unde etiam hodie utile esset, ut ubi retractus jus observatur, ab illo jure excluderentur fœminæ, qvæ nubendo in alias familias transeunt. Sed in regnis & principatibus uti æqualitas civium minus necessaria, ita minor retractus usus: ubicunqve vero publica salus in communi æqualitate sita, sanctius illud protimiseos jus colendum.

XV. Si



Th. XV.

Si fundus venditus, à Principe fuerit evictus, & ad patrimonium Reipublicæ revocatus *ex cap. intellecto 33. X. de jurejur. tenetur venditor emptori ad evictionis præstationem; quod multis exemplis & præjudiciis probari potest. Neque enim fundum cum alia qualitate vendere debuit, quam ipse à Principe habuit.*

Th. XVI.

Quando verò Princeps, vi domini eminentis, fundum venditum in usus publicos convertit, venditor regulariter evictionem præstare non tenetur. Nam futuri casus, post contractam emptionem, ad venditionem non pertinent. *L. Lucius Titius 11. ff. de evictionibus.* Neque tamen emptor hoc in casu exsoluti pretii jacturam facere debet; quippe quod ex publico ipsi refundit Princeps: expectare tamen cogitur meliora Reipubl. tempora. Quod incommodum evitare potest salutari illa cautela, quam suppeditat Illustris Dn. Strykius *in cautelis contract. Sect. 2. cap. 8. S. 40.*

Th. XVII.

Pertinet ad emptionem addictio in diem, qua res aliqua ita addicitur emptori, pro certo pretio, ut intra certum tempus alio meliorem conditionem offerente retractetur venditio *L. 1. ff. de addict. in diem*, quo casu poterit prior emptor conditionem oblatam ipse præstare, atque sic præferendus est posteriori.

Th. XVIII.

An vero idem procedat in subhastationibus publicis, ita, ut sufficiat, si primus licitator tantum offerat, quantum alii, atque adeo pro eodem pretio cæteris sit præferendus, dubitamus. Sane nullum jus præ reliquis habet primus licitator, quod si igitur rem consequi velit, majus, non idem pretium debet offerre; quod & praxis aliorum locorum docet. Aliud longe erat in addictione in diem, ibi enim dominium transfertur in priorem emptorem, ex quo dominio jus prælationis consequitur.

Th. XIX.



### Th. XIX.

Monopolia an plane illicita sint, disquiritur à Moralium Dd. Sane summopere illa Reipublicæ commodis obesse, in apri-  
co est: florent enim illæ magis Resp. ubi negotiorum, ac exer-  
cendarum artium libertas cuivis relinquitur. Interim tamen  
non ausim omnia omnino monopolia damnare, possunt enim  
sæpius ex justis causis permitti monopolia à Principibus. Quod  
vero Grotius *de J. B. & P. l. 2. c. 12. §. 16.* inter exempla, Josephum  
ex sacris literis, referat, merito displicet Dn. à Pufendorf. *de J. N.  
& G. l. 5. c. 5. §. ult.* nunquam enim Rex prohibuit, quo minus alii  
possint frumentum colligere, ac postea aliis vicissim vendere.

### Th. XX.

In cujus damnum cedere debeat casus fortuitus, quo rei lo-  
catæ usus utilitasque intercipitur, multis disputant Moralistæ  
contra auctoritatem juris nostri, vid. Hahn *ad Wesenb. tit. locati &  
conducti n. 16.* Volunt enim hunc tantum conductori nocere. Nam-  
que, inqviunt, semel à locatore tradita est re utendi facultas, &  
quidem mercedi conventæ æqualis. Ideo contractu perfecte ce-  
lebrato per consensum de potestate seu jure illo utendi certa  
mercede, vi justitiæ συναλλακτικῆς conductor, quemadmodum  
dominus est dicti juris, ipse ferat, quod supervenit damnum:  
Deinde uti ubertas & copia fructuum cedit conductori, ita & par  
esse putant, ei nocere casum: Denique difficilem adeo perhibent  
esse probationem, ut litibus amplissima cresceret seges quacun-  
que existente anni sterilitate. Vid. Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 12. §. 18.*  
Lessius *de Just. & Jur. cap. 24. dub. 3. n. 16.* Joh. de Lugo *d. J. & J.  
Disp. 29. Sect. 2. n. 36.*

### Th. XXI.

Sed quicquid id est, facile juris nostri constat auctoritas.  
Nam nisi expresse ita conventum (expresse enim nocent *L. 195.  
ff. de R. I.*) nemo præsumitur pro nudo jure utendi re, mercedem  
solvere, sed vero ipsius usu (Inter hæc enim idem videtur esse  
discrimen in locatione, conductione, quod in emptione venditio-  
ne

B

ne





ne est inter emptionem spei & spei speratae. Vid. Illustris Dn. Stryk *de cautelis contract.* Sect. 2. c. 8. §. 9. & 10.) Ejusmodi vero rei usus vel definitus est vel indefinitus. Ille est quem regulariter & potest & debet prestare locator: adeoque hic locatoris non conductoris damno constat casus, secundum regulam: Casus nocet facienti. Et huc spectat *L. 9. §. 1. inf. ff. locati.* Add. Pufend. *J. N. G. Lib. 5, cap. 6, §. 2.*

#### Th. XXII.

Circa istas vero res, quarum proventus est incertus, verum utique est, sterilitatem juxta ac ubertatem coloni esse. Sed id recte restringit Ulpianus, in *L. 15. §. 2. ff. locati*, ad illa vitia, quae ex ipsa re oriuntur. De his enim cogitasse censentur, non de illis, quae praeter consuetum naturae modum contingunt vi majori & divina, vid. *L. 25. §. 5. ff. eod.* Accedit & alia elegans ratio, quam reddit Jctus in *alleg. L. 15. §. 2.* ne supra damnum seminis amissi mercedes agri prestare cogatur. Frustra autem difficultatem probationis objiciunt dissentientes: Nam vis illa major facile discerni potest ab illis damnis, quae effœta quasi natura subinde infert.

#### Th. XXIII.

Ob pensionem non solutam post biennium expelli posse conductorem, plerique propter *L. 54. §. 1. ff. Loc.* existimant, liquido tamen ex illo textu id probare non possunt vid. Bonacin. *de Contract. Disp. 3. Qu. 7. punct. 3. n. 5.* Quod si vero pactum expressum adsit, quando ob pensionem non solutam expelli debeat conductor, tum ista cessat controversia.

#### Th. XXIV.

Id tamen quaestionis est, an Locator propria auctoritate expulsionem facere possit? Non dubitamus, si hoc in contractu fuerit expressum: modo tamen conductor non resistat: tum enim Judex adeundus, ne quis propria auctoritate sibi jus dicat contra *L. si quis in tantam 7. C. unde Vi.* Ipse tamen Judex etiam  
hoc



hoc casu ob tale pactum celeriter procedere, atque alterius exceptiones ad reconventionem reservare debet. Vid. Coler. *in process. Execut. P, II. cap. 5. n. 54.*

#### Th. XXV.

Tacite etiam res nostras locari posse, indubitatum est, si sc. conductor in re conducta maneat. Verum id adhuc difficultatis superest, quamdiu illa renovatio facta censeatur? si res per dies l. septimanas locari soleat, facilis interpretatio est; Sed si per quadrantes anni locari res consveta, tum major difficultas adest. Existimamus tamen illo casu etiam relocationem ad tale tempus videri factam: vid. pluribus Molina *de J. & J. Tr. II. Disp. 498.* Mantica *de tacit. & ambig. convent. l. 5. tit. 5. n. 20.*

#### Th. XXVI.

Constat omnibus Conductorem expelli posse, si locator vel ipse re locata opus habeat, vel illa refectione indigeat, vel etiam conductor eadem abutatur, *L. Aede 3. C. de Locat.* An vero huius legis beneficio renunciare Locator possit, quaestio est? Quantum ad duos priores casus, renunciationem licitam esse facile credimus Carpozio *P. II. Dec. 137. n. 8. & P. II. Const. 37. def. 7.* Ultimum autem casum: *si conductor re abutatur*, non renunciabilem esse existimamus: nihil enim tale tolerandum, quod ad delinquendum homines invitat.

#### Th. XXVII.

Quorsum nunc referemus Colonum [Partiarium; qui pensionem certam portionem fructuum ex praedio percipiendorum praestat? Sanè, proprie hic contractus nec locatio dici poterit, ob mercedis incertitudinem: nec rectè dicetur societas, dum ipse Cajus Jctus hic saltem quasi Societatis jus agnoscit *L. 25. §. 6. ff. Loc. cond.* Alii, inter quos Anton. Faber *Rational. ad d. L. 25.* contractui innominato adscribunt. Placet tamen, quod habet Baldus *in L. Certi Juris 5. C. Locat.* ubi vocat hunc contractum



Etum societatem quandam velatam, & sub contractu Locationis conductionis inclusam, add. B. Dn. Brunnem, ad L. 52. n. 5. ff. pro soc.

Th. XXIX.

Supereft, ut de contractu illo dispiciamus, quem *ADMODIATIONEM* vocant: cujus originem vide fis apud Carolum du Fresne *Glossar. med. & infim. Latin.* conf. etiam Disput. Taboris de *Admodiatione* Anno 1646. Argentorat. edita. Solent sc. illo contractu, omnes redditus, annuæ præstationes, fructus jurisdictionis, aliorumq; jurium commoditates, pro certa annua pensione alteri concedi. Verum, existimamus hunc contractum plane cum contractu Locationis & conductionis convenire; dubium enim non est, posse etiam jura, una cum agris, imò interdum sine prædio locari.

Th. XXIX.

Pertinet etiam huc *CONTRACTUS SOCIDÆ*, quando pecora alicui locantur pro viliori mercede, sed ita ut conductor periculum mortis in se recipiat; unde pecora talia vocari solent *eyfern Vieh*. Quamquam autem non desint, qui hunc contractum pro societate habeant Læl. Zechus *Tr. de usur. c. 7. n. 7.* Non tamen video, cur non referendus ad Locationem & Conductionem, cum pacto de recipiendo periculo.

Th. XXX.

Contractum Emphyteuseos non esse speciem locationis, conductionis evidens est: Nec enim solius prædii usus conceditur, sed dominium quoddam utile. Nec Emphyteusis constituitur solum per emptionem & venditionem, sed per omnes illos modos, quibus dominium rei nostræ alii concedere possumus, puta donationem, permutationem, testamentum, legatum. Hahn; *ad Wesenb. tit. si ager vectigalis. n. 3.* Adeo ut minus fortasse fuerit necessarium, specialem Emphyteuseos contractum facere.

Th. XXXI.

Hæc vero præcipue hic disputant, an hic contractus omnino requirat scripturam, ob verba L. 1. C. de contract. Emphyt.  
Qvan-



Quamquam enim inter contractus consensuales ab Imperatore referatur: videtur tamen id magis fieri ob convenientiam cum locatione & conductione: §. 3. *Inst. de locat. cond. ex L. 1. C. de contrab. empt.* est explicandus. Sed quicquid id est, in praxi receptum, ut privatorum emphyteusis sine scriptura consistat; Ecclesiastica vero vel civitatis scripturam requirat, Mevius p. 3. *Decis. 289. Struv. Exercit. 11. tit. 66.*

### Th. XXXII.

Societatem consistere non posse, si unus damnum saltem absque ullo lucro sentire deberet, constat ex *L. 29. §. 1. ff. pro soc.* Naturalis enim est societati utilitatum communio, utpote sine qua consistere societas nequit. Grotius de *J. B. & P. l. 2. c. 12. §. 24. n. 3.* Id igitur quaeritur, an nullo modo talem societatem inire liceat? Sane si de animo donandi constet, cur id prohibeatur, cum de re mea quacunqve ratione disponere liceat, *L. 21. C. Mand.* non video, qualem hic superesse dubium possit. Vid. B. Dn. Brunem, ad *L. 30. ff. pro socio n. 3.*

### Th. XXXIII.

Posse quem etiam invitis sociis à societate recedere, aper-  
tissimi juris est. Verum an pactum tale subsistat, ne à Societate  
recedere liceat, disquiritur? Nos negativam tuemur per *L. 14. §. 70. ff. pro soc.* ita, ut etiam juramentum adjectum nullius effica-  
ciae sit, si quotidianis rixis & discordiis ansam societas daret.  
*Valasc. T. 1. Dec. 63. n. 14.*

### Th. XXXIV.

Socium culpa nomine teneri ex §. *ult. inst. de societate*, con-  
stat. Levem autem culpam tantum ibi intelligi, communiter sta-  
tuunt, sed cum culpa hic non in abstracto sed in concreto con-  
sideranda veniat, Dn. Hoppius in *comment. §. citat.* potius existi-  
marim, ex rebus & negotiis dijudicandum, quam culpam pra-  
stare debeat; ut ille diligentiae gradus ab eo exigi possit in rebus  
communibus, qualem adhibere solitus fuit in similibus rebus



propriis. Quilibet enim mortalium, quanquam vitæ dissolutæ, modo rerum suarum cura tangatur, in aliis diligens, in aliis diligentior, in aliis diligentissimus est. Conf. B. Brunnem. *ad L. 32. ff. depositi.*

Th. XXXV.

Mandati actionem tibi competere, etiam si tua gratia tibi mandavero, affirmat Imperator §. 6. *Instit. mandati* si non fecisses, nisi ego mandassem. Cujus rei evidens ratio, quod meam fidem interposuerim, Et ex hoc §. facile conciliari potest *L. 6. §. 5. ff. mandati cum L. 8. §. 6. ff. eod.* Nam in citata *L. 8. §. 6.* dicitur, mandati actionem non competere, nisi cum cœpit interesse: at in *L. 6. §. 5.* habetur idem casus, quoniam §. 6. *Instit. Mandat.* scilicet competere mandatario actionem mandati, quod ipsius causa mandatum est, ut ut mandatoris nihil intersit. Quos textus utpote de diverso subjecto loquentes, non opponere, sed separare debuisent Doctores. Add. Nicolaus de Passeribus *Concil. cunctar. Legum part. 1. cap. 5. quest. 5.*

Th. XXXVI.

Hinc etiam dijudicari potest; *An Jctus ex consilio suo obligetur?* Quanquam enim consilii non fraudulentum nulla obligatio fit *L. 47. ff. de R. J. L. 62. cod. in 6.* Jctorum tamen consilia cum illis consiliis, quibus alias amicus amico consulit, nomine potius quam re conveniunt. Illi enim peritiam artis professi contractu mandati se videntur obstringere, suam quasi interponendo fidem, vid. Brunnem. *ad c. 62. de R. J. in 6. Add. L. 8. ff. ad L. Aquil. § L. 6. §. 7. ff. de officio Præsidis.*

Th. XXXVII.

An tamen ex literis commendatitiis scribens obligetur, dispiciendum est? Respondetur negando pro *L. 12. § 12. ff. mandat.* vid. Nicol. de passeribus *de script. privat. lib. 3. tit. de lit. commendar. n. 2.* commendando enim nihil aliud, quam humanitatis ac benevolentiae officia conciliare commendato intenditur. Si vero  
quis



quis addiderit commendationi, ut egenti pecunia succurrat, mandatum apertissimum adest. Rutger. Ruland. de commiss. P. 2. lib. 5. cap. 14. n. 15. & seq. add. Celeberrimus Dn. Petr. Schultz. in disput. de jur. commendat.

#### Th. XXXIIX.

Mandatarium ad omnem culpam præstandam obligari, juris auctoritate manifeste declaratur. L. 13. C. mandati nec quicquam in hac administratione neglectum ac declinatum, culpa vacuum est. L. 21. C. eod. An vero in abstracto, an vero in concreto sit æstimaanda illa culpa, dijudicandi ansam suppeditat tepida illa fabella, quam refert Dominus à Pufendorf. J. N. G. lib. 5. cap. 3. S. 3. Quidam oculis laborans mulo-medicum accedit, remedium petiturus: Ille eo, quo jumenta solebat, istius quoque inunxit oculos unguento; sed cæcus inde fit. Lite ad judicem delata, ita hic pronunciat: in medicum nullam sarcienti damni habetis actionem, hic enim nisi asinus fuisset, mulo-medicum nunquam adiisset.

#### Th. XXXIX.

An minor Mandatarius ad litem alterius constitui possit, vexata quæstio est. Nos, non attentis aliorum opinionibus, negativam tuemur: & movent nos imprimis textus in L. 12. C. de Procurat. & L. 51. ff. eod. Minor enim cum gaudeat beneficio restitutionis, semper elusorium redderet judicium, dum vel contra ipsum mandatum tandem restitutionem petere posset.

#### Th. XL.

Solet interdum mandatum concedi cum libera, sc. potestate agendi omnia illa, quæ Dominus ipse, si præsens esset, agere posset & vellet? Quæ clausula de Jure Canonico non exiguum effectum habet c. 4. de Procurat. Si tamen quod res est dicendum, ista clausula, quantum ad illa, quæ in mandato expressa, sine dubio est superflua: Quantum autem ad non expressa attinet, quæ speciale mandatum requirunt, semper incertum erit, an Dominus hoc voluisset agere, licet potuisset.







94 A 7387

ULB Halle

3

006 301 592




V. 17











Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

2  
D. B. V.  
PUBLICI  
TIO XII.  
ACTIBUS  
SUALIBUS  
usq; ad Tit. XXII X.  
II. Instit.  
am  
IDERICIANA,  
ÆSIDIO  
UELIS STRYKII,  
rof. Publ. Extraord.  
rio Majori  
S. MDCXCIII,  
entilationi  
mittit  
DOLMANN.  
IVONUS.  
Æ,  
II, REGIMINIS ELECT, BRAND.  
GR,

XII

13